



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

Disc. I. De Communi XII. Apostolorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](#)

IN COM.
 MVNE APO.
 STOLORVM.
 DISCVRSVS I.
 EVANGELIVM.

Matt. 9.10 CVM dies factus esset, I E-
 Marc. 3.6. s v s vocauit ad se discipu-
 Luc. 6.9. los suos quos voluit, & ele-
 git duodecim ex illis, & fecit ut
 effent duodecim cum illo, quos
 vocauit Apostolos, vt eos postea
 mitteret ad prædicandum, vt Si-
 monem quem mutato nomine
 vocauit Petrum, & Andream fra-
 trem eius, & Iacobum Zebedei,
 & Ioannem fratrem dicti Iacobi,
 Philippum & Bartholomæum,
 Mathæum & Thomam, Iacobum
 Alphæi, & Simonem Cananæum,
 Iudam Iacobi, & Iudam Iscario-
 tem, qui postea eum tradidit.
 Et videns I E S V S turbas, mi-
 serit

misericordia motus super illas,
quia erant afflictæ, & iacebant si-
cutoes non habentes pastorem,
dixit ad discipulos suos . Messis
multa, operarij autem pauci, &
conuocatis ad se duodecim, cœpit
eos mittere binos, & præcepit il-
lis. Ite & prædicate, quia appro-
pinquauit regnum cœlorum, in-
firmos sanate, mortuos resuscita-
te, leprosos mundate, dæmones
eijcite, gratis date quæ gratis ac-
cepistis. Nolite possidere aurum
vel argentum, nec pecuniam, nec
quicquam per viam portare, non
facculum, nec virgam, nec panē,
nec duas tunicas, quia operarius
est dignus cibo suo. Ecce ego mit-
to vos tanquam oves in medio
luporum. Estote ergo prudentes
sicut serpentes, & simplices sicut
columbæ.

Vos amici mei eritis, si feceri-
tis, quæ ego præcipio vobis. Iam
non dico vos seruos, quia seruus
nescit quid faciat dominus eius.
Vos autem dixi amicos, quia om-

Ioan. 15.

O 7 nia

324 DISCURSUS DE
nia quæcunque audiui à Patre
meo nota feci. Non vos me ele-
gistis, sed ego elegi vos: & posui
vos, ut eatis, & fructum afferatis,
& fructus vester maneat, ut
quodcunque petieritis Patrem
in nomine meo, det vobis. Hæc
mando vobis, ut diligatis inui-
cem. Si mundus vos odit, scitote
quia me priorem vobis odio ha-
buit. Si de mundo fuissetis: mun-
dus quod suum erat diligenter:
qui i verò de mundo non estis,
sed ego elegi vos de mundo, pro-
ptereodit vos mundus.

*Matt. 28.
Mar. 16.* Denique IESVS, (post su-
am resurrectionem) apparens di-
scipulis suis dixit illis. Data est
mihi omnis potestas in cælo &
in terra. Ite ergo in vniuersum
orbem, & docete omnes gentes,
& prædicate Euangelium omni
creatüræ, baptizantes illos in no-
mine Patris, & Filij, & Spiritus
sancti, docētes eos seruare omnia
quæcunque præcepi vobis.

FIGV

FIGVRAE.

1. IACOB Patriarcha habuit Gen.31.
filios duodecim Patriarchas, Exod.1.
a quibus descendit & originem tra-
xit totus populus Dei.
2. Moyses elegit duodecim Prin-
cipes in duces toties populi Israhel, Exod.18.
Num.1, 20.
dum in itinere essent in terram pro-
missionis: atque hi Principes quoque
erant illi qui cum suis tētorijs stabat
circū tabernaculū & arcā Domini.
3. Moyses misit duodecim explora-
tores ad considerandam terrā pro-
missionis, quam erat occupaturus. Num.13.
4. Salomon constituit duodecim
prefectos populi Israhel, quorum 3. Reg.4.
officium erat domui regiae procura-
re cibum:

PROPHETIAE.

- PRO patribus tuis nati sunt tibi filij, psal 44.
 1. constituens eos Principes super omnē
terram.
2. In omnem terram exiuit sonus eorū,
& in fines orbis terrae verba eorum. Psal.18.
 3. Constitui super nos speculatores, an-
dite vocem tubæ.
 4. Su- Ier.16.

326. DISCURSUS DE

Isa. 62.

4. Super muros tuos Hierusalem confitui custodes tota die & tota nocte, in perpetuum non tacebunt.

Isa. 12.

5. Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem annuntiantis bona, prædicantis salutem, dicent, Sion regnabit Deus tuus.

Isa. 60.

6. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?

Ibid.

7. Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Graciā, ad insulas longè, & annunciarunt gloriam meam gentibus.

CONSIDERATIONES.

Punct. I.

SANCTISSIMVS rex & Propheta Dauid, considerans excelsa Domini opera, speciatim creationē, gubernationem, & admirabilem suspendumque machinæ mundi ordinem exclamauit in hæc verba. Quam

Psal. 108. magnificata sunt operatua Domine; omnia in sapientia fecisti. Magnam profecto sapientiam Deus demonstrauit in creatione cæli & terræ, illud tanta astrorum, signorumque cælestium, hanc verò plantarum & animalium varietate ornando. Deinde in creatione duorum clarissimorum mundi

mundi oculorum, magnorumque
 luminarium, Solis & Lunæ, ut lumē
 præberent omnibus terræ partibus,
 ac dies, aliaque anni tempora distin-
 guerent. Sed si magna fuit sapientia
 hunc mundum condere, non minor
 certe bonitas fuit illum gubernare;
 nam cum ipse solus solo voluntatis
 suæ nutu potuerit illum gubernare,
 sicut potuit creare, voluit tamen cre-
 aturis suis etiam ad honorandum il-
 las, hanc potestatem cōmittere. Non
 satis fuit benignissimo Domino cō-
 municare illis suum esse, sed etiam
 vim & facultatem dare ut alijs com-
 municarent esse; vt cum aliquas ea-
 rum voluit esse causas effectrices, à
 quibus aliarum perfectio & admini-
 stratio penderet; atque ita similiores
 reddere suo conditori Deo. Quem-
 admodum experientia teste videmus
 cælis, & particulatim planetis, signi-
 sque cælestibus à Domino commu-
 nicatam vim influendi in hæc infe-
 riora, fæcundandi terram, efficiendi-
 que, vt arbores omnes, cæteræque
 plantæ temporibus statis opera ho-
 minis exultæ fructus suos produ-
 cant. Iam verò nō minus, sed magis
 admirabilem in sapientia & bonita-
 te de-

328 DISCURSUS DE
te demonstrauit se Deus in fabrica
& gubernatione Ecclesiæ, mundi
noui ; nec enim aliud Ecclesia est,
quam mundus, non materialis sed
spiritualis, non terrenus sed cœlestiss
in quo mundo pariter cœlum est &
terra, partes superiores & inferiores,
hoc est, status & gradus, alijs sublimi-
ores, alijs humiliores, alijs perfectiores
minus perfecti alijs. In hac terra
quoque reperiuntur diuersa ani-
malia, alia munda, alia immunda,
hoc est, boni & mali, iusti & peccato-
res. Sunt quoq; in ea variæ plantæ &
arbores, aliæ vtiles & frugiferæ, aliæ
sylvestres & infrugiferæ, de quibus
scriptum est, eas excindendas & in
ignem proijciendas. Ex alia parte, si-
cut Deus in hoc mundo materiali-
vit in creaturis superioribus, hoc est,
corporibus cœlestibus, pro gubernati-
one & perfectione inferiorum; sic
mundus hic spiritualis Ecclesiæ ab
eo ornatus est suis cœlis, stellisque &
signis cœlestibus, quorum opera, ve-
lut causarum secundarū, gubernat,
promouet & dirigit animas fidelium,
ut producant fructum vitæ & salu-
tem consequantur. Quid verò aliud
sunt hæ stellæ, nisi illæ de quibus

lo:

loquens Apostolus dixit. *Quosdam* *1. Cor. 12.*
 quidem posuit D E V S in Ecclesia, pri-
 mum Apostolos, secundo Prophetas: ter-
 tio Doctores, deinde virtutes, ex inde gra-
 tias curationum, opitulationes, guberna-
 tiones, genera linguarum. Itaque Eccle-
 siæ prælati, prædicatores & pastores
 populi fidelis, sunt huius cæli spiri-
 tualis stellæ, in quo cælo super om-
 nes alios resplendent duo illa maxi-
 ma & lucidissima luminaria. Quo-
 rum primum est C H R I S T V S
 Dominus noster, qui est clarissimus.
 ille Sol iustitiae, illa vera lux, quæ il-
 luminat omnes homines: lux quæ
 non solum lucet in his partibus in-
 ferioribus Ecclesiæ, sed omne etiam
 lumen & vim alijs omnibus Eccle-
 siæ eiusdem stellis cōmunicat, imo
 etiā radios suos vsq; ad supernā Ec-
 clesiæ triumphantis Hierusalē porri-
 git, illuminatq; & infatmat cælestes
 ciues & angelicos spiritus, qui tanto
 desiderio ardent contuendi gloriosā
 eius faciē. Deinde alterum luminare,
 quid aliud est præter Matrē illā bea-
 tissimā, quę genuit ipsum solem; illā
 purissimam Virginem, quam, scri-
 ptum est, pulchram esse, vt lunā; quæ
 ex abundantia lucis ab eodem sole

Cant. 6

com.

330. DISCURSUS DE
communicatæ, resplendet in nocte
huius saeculi, velut refugium, media-
trix, & aduocata omnium peccato-
rum. Post haec autem nobilissima lu-
minaria, inter omnia astra, interque
eos quos Dominus gubernandæ Ec-
clesiæ suæ præfecit, suosque coope-
ratores in opere humanæ salutis es-
se voluit, primum locum tenent san-
cti Apostoli, qui duodecim signo-
rum cœlestium instar resurgent in
Ecclesia, suosque doctrinæ, miracu-
lorum, viuorumque exemplorum
influxu & luce, ex toto orbe terrarū
überimum retulerunt fructum, si-
demque CHRISTI in toto mundo
plantarunt & propagarunt. Hi
quoque sunt duodecim illæ lucen-
tes stellæ, quas sanctus ille Euange-
lista, in speciem coronæ impositas
vidit capiti magnæ mulieris, quæ ap-
paruit in cœlo amicta Sole & Luna
sub pedibus eius : nam haec mulier
aliud non designabat, nisi ipsam Ec-
clesiam sanctam, quæ in primis suis
initijs mirabilibus horum duodecim
Patrum operibus, velut à duodecim
lucidissimis stellis fuit adornata &
illustrata.

2. CIRCA hoc Apostolatus offi-

ciam

cium in Dei Ecclesia tam eximium
 & singulare , Primò consideranda
 est beatissimorum Apostolorum c-
 lectio . Secundò huius numeri my-
 stici significatio . Tertiò Apostolici
 officij dignitas . Quartò ampla eius
 potestas Quintò fructus ex ea in mū-
 do consecutus . Et primo circa voca-
 tionem & electionem horum glo- *Luc. ii.*
 riosorum Sanctorum considera , Fi- *Ioan. 12.*
 lium Dei , ut forte illum armatum
 expugnaret , & è mundo extermina-
 ret , in quo tot iani sæculis regnarat ,
 simulque vniuersum genus huma-
 num dura sua seruitute liberaret , nō
 è celo euocasse angelorum legiones ,
 nec coegisse hominum exercitus , sed
 ex tot hominum milibus elegisse
 tantum duodecim . Et cum in orbe
 terrarum tot essent Reges , Principes ,
 alijque viri illustres , tanta quoque
 doctorum , sapientum , & eloquen-
 tiū hominum turba , nullum ta-
 men ex illis delegit æterna sapien-
 tia , sed homines pauperes , simplices ,
 & indoctos , vt testatur Apostolus . *1. Cor. 1.*
 Videte , inquit , fratres vocationem ve-
 stram , quia non multi sapientes secundum
 carnem , non multi potentes , non multi no-
 biles ; sed quæ stulta sunt mundi eligit

DEVS

332 DISCURSUS DE
DEVS ut confundat sapientes, & infra-
munda mundi elegit DEVS ut confundat
fortia; & ignobilia mundi, & contempi-
bilia elegit Deus, & ea quae non sunt, vi ea
quaे sunt destrueret. Erat mundus simi-
lis magnæ statuæ, quam in somnis
vidit Rex Nabucodonosor, cuius ca-
put erat aureum, pectus cum brachijs
argenteum, venter cum femoribus
ex ære, tibiæ cum pedibus ferreæ.
Quibus metallis significabatur di-
gnitas, opes & potentia monarchia-
rum & principatum, qui diuersis
temporibus exsticuri erant in mundo.
Deus vero deiecturus superbam illa
statuam, non immisit in eam de cælo
aut sagittas, aut ignem; nec effecit ut
in eam caderent montes, sed exiguum
lapillum sine manibus hominum vo-
luit è monte abscindi, quo percussi
pedes ut fuerunt, totus iste colossus
concidit, & in puluerem redactus est.
Hic aut lapillus paulatim augescens
crevit in monte ingente, ut sua am-
plitudine compleret totam terram. Quid
vero aliud fuit hic exiguum lapis, nisi
CHRISTVS? de quo scriptum est,
Petra aut CHRISTVS, qui natus sine
opera hominis ex monte virginali,
tunc percussit & demolitus est hanc
statuam,

Dan. L.

I. Cor. 10.

statuam, quando stultitia crucis, & ignominiosa morte pudefecit mundi superbiam, humanam sapientiam stultam reddidit, & regna diaboli destruxit. Tuncque lapillus tam parvus & contemptus creuit, & totum mundum impieuit, quando hi discipuli sui pauperes ab opibus terrenis, sed diuites in fide, & cœlestibus virtutibus, profanas aras cultumq; sacrilegum idolorum destruxerunt, & totum mundum gloria & fide Christi implerunt. Tunc huius mundi Princeps fuit cœctus foras, & C H R I S T V S mansit Princeps & Dominus vniuersi, Rex regum, & Dominus dominantium. Secundum illud de eo prophetatum, Dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Vbi vide, Deum non subiecisse suæ legi populos autoritate & potentia Principum, sed prædicatione paucorum & simplicium hominum Imperatores, Monarchas, & Reges mundi obedientias fidei Christianæ subdidisse Similiter nec opera sapientum & magnorum oratorum vocasse suos pauperes pescatores, sed contra opera idiotarum pescatorum cœuentisse & ad se attraxisse sapientes Philosophos & Oratores mundi.

Sicut

Apoc 19.

Psal. 71.

334 DISCURSVS DE

Exod. 3.

Sicut quoque in veteri Testamento Deus ad frangendam Regis Pharao-nis superbiam non immisit in eum leones, aut tigrides, aut armatas co-pias, sed exiguae muscas & ranuncu-las. Similiter ad edomandam tyran-ni Holofernisi arrogantiam, non v-sus est nisi opera imbecillis sexus, nempe fœminæ Hebreæ. Ad delen-dum item potentem & innumerabi-lem Madianitarum exercitum, non

Judic. 7.

nisi paucorum hominum manu v-sus est, qui in manibus loco armo-rum aliud non habebant, nisi lage-nas terreas in quibus erat accensa lá-pas, & vnam tubam. Eodem modo cælestis ille dux ad pudefaciendam superbam huius mundi sapientiam misit homines contemptos, & instar agnorum mansuetos, vt contra fe-rociissimos lupos depugnarent adeos conuertendos, & è lupis in agnos transformandos. Erant verè sancti Apostoli, vt vasa fictilia, debiles & contempti, sed pectora eorum ardē-ti salutis animarum zelo flagrabant.

Ierem. 6.

Erant item tubæ, quæ non solum perterrituerunt inferni potestates, sed etiam ex omnibus terrę partibus sub vnum caput in vnam Ecclesiam po-pulum

pulum Dei electum conuocarunt & congregarunt. Hæc gloria CHRI. ST I est, & in huiusmodi electione personarum infinitam & admirabilem sapientiam suam demonstrauit. Quod fecit, vt agnoscerent se ad Apostolicam dignitatem vocatos non merito suo vel sufficientia, sed ex mera gratia & bonitate Domini. Qui ita voluit, cui ita placuit, quemadmodum & ipse dixit. *Non vos me ele-* *Ioan. 15.*
gistiis, sed ego elegi vos. vt nimirum efficerentur humiliores, quando vide rent in se nihil esse, vnde tam sublimi officio & statu digni videri possint. Deinde speciatim Dominus elegit Apostolos pauperes, vt ex utilibus curis & sollicitudinibus temporalibus, in prædicatione Euangelij essent promptiores, suoque exemplo melius alijs persuadere possent paupertatem Euangelicam. Elegit quoque simplices & ignorantes, vt fructus ab ijs colligendus non attribueretur magnæ eorum sapientiæ, & prudentiæ, sed diuinæ tantum potentiarum; atque ita mundo innotesceret, propagationem Euangelij non humanum, sed diuinum opus fuisse. Denique elegit eos imperfectos &

P pec.

336 DISCURSUS DE

peccatores, ut quoniam futuri erant
pastores vniuersales totius mundi,
ex propria fragilitate, quam in se ex-
perti essent, & ex misericordia quam
a Deo receperissent, discerent, quan-
tum deberent aliorum infirmitati-
bus compati, quantumque miseri-
cordiam erga alios exercere. Tales
congruebat esse primos pastores &
Doctores generis humani, pauperes,
humiles, & mansuetos, & tales et-
iam pro infinita sua misericordia
Dominus nobis dedit.

3. CONSIDERA deinde no-
men & numerum huius chori Apo-
stolici, nam vt scriptum est, elegit &
voluit eorū esse duodecim & appel-
lari Apostolos, quod nomen signifi-
cat, missum, vel legatum. & recte. Hi
enim fuerunt illi Legati, & fœlices
nuntij ab ipso Domino emissi ad an-
nunciandum Euangeliū nouum
in vniuerso mundo. Voluit deinde
esse duodecim, ob magnum myste-
rium hoc numero comprehensum,
continet enim ter quaternarium nu-
merum, & quater ternarium: quare
aliud non significatur, quam Apo-
stolos fore primos qui in quatuor
mundi partibus prædicaturi & pa-
refaciat.

Lxx. 6.

refacturi essent sanctissimæ Trinitatis gloriam & fidem, mysterium in illam horam vsque occulum, & à paucis cognitum. Secundò voluit es-
se duodecim ad complendas veteris legis figuræ; in qua sacer hic numerus varijs modis fuit usurpatus & celebratus. Neque enim aliud duodecim fontes à populo Israhel reperti in deserto Heliū significarunt, nisi aquas gratiæ Euangelicæ, quibus hi duodecim fontes Apostoli irrigau-
runt omnes partes terræ. Similiter duodecim lapides pretiosi in Ratio. *Exod. 28.*
nali ante summi veteris legis Sacerdotis pectus collocati, non aliud de-signabant, quā apostolos duodecim, quos CHRISTVS summus Sacerdos & Pontifex noster ornamenti loco collocauit in sua sacra veste, quæ est, Ecclesia Catholica, in qua hi glorio-
si sancti virtutū sanctitatisq; exēplo gemmarum pretiosissimarū instar reluent. Sed & duodecim panes pro-
positionis, qui continenter erant in templo in cōspectu domini optimè *Exod. 28.*
præfigurabant hos duodecim Apo-
stolos, qui sua doctrina & prædica- *Deut. 24.*
tione quasi sacris panibus oēs mūdi populos pauerūt. Nec minus in duo-

338 DISCURSUS DE

decim lapidibus ex quibus constru-
ctum erat Dei altare mystice premo-
strati sunt duodecim Apostoli, velut
illi, ex quibus tanquam viuis lapidi-
bus Dominus suam Ecclesiam fabri-
cauit. Congruentissime quoque pos-
sunt comparari duo decim bubus æ-
reis, sustentantibus magnū illud vas,
dictum mare æcum, quod erat in
templo, præfigurans baptismum: nā
Apostoli primi fuerunt, qui hoc sa-
cramentum in salutem populi fide-
lis administrarunt. Item duodecim
leonibus in throno Regis Salomo-
nis exsculptis, quia non solū suo
immenso rugitu instar leonum fa-
meliacorum currentes ad prædam sa-
lutis animarum totum mūdum cō-
plerunt, verum etiam magna vi &
robore persecutoribus omnibusque
fidei hostibus sese opposuerunt. Hi
denique sunt duodecim illa pretiosa
fundamenta nouæ & sanctæ ciuita-
tis Hierusalem, quam tanquā spon-
sam ornatam vedit sanctus Euange-
lista de cælo descendenter. Nam hi
gloriosi principes illi fuere, qui so-
lida sua doctrina, pretiosissime meri-
lis Ecclesiam Dei fundarunt & su-
stentant: lapides verè pretiosi, quia
pretiosa

Deut. 27.**3. Reg. 18.****3. Reg. 7.****3. Reg. 10.****Apol. 21.**

pretiosa morte pro CHRISTO
tolerata tantam gloriam attulerunt
CHRISTO, & Ecclesiæ eius splen-
dorem tantum. nec solum fuerunt
lapides, sed altissimi montes, & mō-
tes sancti: supra quos (sicut scriptum
est) posita sunt fundamenta Sion ci- Psal. 86.
uitatis Dei. Et rectè vocantur mōtes,
quia sancti Apostoli quasi montes
primis solis iustitiae radijs illustrati
sunt, & cœlestium donorum imbre
perfusi. Fælices apostoli, qui confes-
sione sua cœlestis patriæ fundarunt
mœnia, sanctis moribus creverunt,
exemplis virtutum adornarunt, mi-
raculis dilatarunt, & sanguine pro-
prio dedicarunt.

4. IAM verò considera dignitatē
& excellentiam officij Apostolici. Et
primo, quam magna & singularis
gratia fuerit, eos ex omnibus totius
mundi hominibus feligi, vt in terra
familiariter cōuersarentur cum Do-
mino totius orbis, assidere eius mea-
ſæ, semper diuinum illum vultum
gratia plenum contemplari, saluta-
rem & cœlestem eius doctrinam cō-
tinenter audire, eius admiranda o-
pera oculis usurpare, esse delectos
noui. Testamenti ministros, & diui-

340 DISCURSUS DE
norum mysteriorum dispensatores.
ALTERA dignitas & prærogativa
S. Apostolorum fuit, quod essent la-
pides primi collocati & immediate
fundati, super lapide angulari Chri-
sto IESV supremo sanctæ Ecclesiæ
fundamento, ut loquitur Apostolus
ad Ephesios. *Iam, inquit, non estis ho-*
spites & aduenæ, sed estis ciues sanctorū
& domestici, Dei superaedificati super
fundamentum Apostolorum & Prophe-
tarum ipso summo angulari lapide CHRI-
STO IESV. Vnde & merito sancti
Apostoli vocantur Ecclesiæ colu-
mnæ, de quibus Deus per Prophetā
dixit, *Ego confirmavi columnas eius.* Et
quæ sunt hæ columnæ, nisi, de qui-
bus sponsa sui sponsi pulchritudi-
nem describens, dixit. *Crura eius co-*
lumnæ marmoreæ, fundatae super bases
aureas. Quod aurum significat cha-
ritatem, supra quam erant fundati
sancti Apostoli, sicut Dominus eis
commendavit dicens. *Hac mando*
vobis, ut diligatis iunicem. Tertia præ-
rogativa Apostolorum est, quod
antelati sunt, dignioresque facti
non solùm omnibus veteris legis
Patriarchis & Regibus, verum etiam
prophetis qui id temporis tanta san-
cta.

Eph. 2.

Psal. 74.

Cant. 5.

Ioan. 15.

etitate, & miraculis floruerunt. Multo enim maior & vberior gratia cōmunicatata fuit Apostolis quam Prophetis, maiusq; diuinorum mysteriorum lumen, ut pote illis, qui digni æstimati erant, ut reciperent primicias Spiritus S. Itaq; magnitudine caritatis, donorumq; cælestium abūdātia omnibus veteribus sanctis antecelluerūt. Deinde Prophetæ amandati erant ad vnum tantū populum, nempe Hebræum; at sancti Apostoli nullis præfinitis limitibus tanquam Doctores & Pastores vniuersales, missi sunt ad oēs populos & nationes mundi. Præterea salutem, quam Prophetæ multo ante prænunciabant, & salutare illud tantoperè desideratum quod illi à lögè salutarant, Apostoli proprijs oculis coram viderunt, auribus audierunt, & manibus contigerunt. Vnde & verius quā prophetæ dicere potuerunt. *Quod fuit I. Ioan. L ab initio quod audiuiimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra correctauerunt de verbo vite annunciamus vobis.* Denique Prophetæ tantum præpararunt materiam fabricadæ nouæ Ecclesiæ: sed Apostoli opere complerunt, & initium

P 4 fabri-

342 DISCURSUS DE
fabricæ dederunt, sicut & legimus.
Dauidem regem omnem materiam
pro ædificio templi parasse, sed Salo-
monem iactis fundamentis totum
ædificium absoluuisse.

5. POTES T quoque eminentia
& dignitas Apostolorum colligi, ex
varijs nominibus quibus in scriptu-
ra appellantur, & ex varijs rebus qui-
bus præfigurantur. Ac primo quidē
vocantur Principes, de quibus dixit
Propheta, *Constitues eos Principes super*
totam terram: eo quod fuerint prima
capita & gubernatores Ecclesiæ, ac
velut populi fidelis duces in omnib⁹
mundi partibus. Deinde vocantur &
sunt populi Pastores & Doctores, qui
bis Dominus imprimis pascendi, in-
struendiq; gregis sui curam commi-
tit, quos & ante Deus per prophetam
promiserat: Dabo, inquiens, vobis Pa-
stores iuxta cor meum, & pascere vos sci-
entia & doctrina. Atque id Dominus
ipse mandauit Apostolis, quando
post resurrectionem apparens eis di-
xit. Euntes docete omnes gentes, baptizan-
*tes eos in nomine Patris & filii & Spi-
ritus sancti, docentes seruare omnia, que*
præcepi vobis. Sunt quoque Apostoli
vocati dij, iuxta illud psalmi. Dij
fortes.

Psal. 44.

Hier. 3o.

Matt. 28.

fortes terre vehementer eleuati sunt. id- *Psal. 46.*

que ob miraculorum, aliorumque
operum admirandorum excellentia-
m quæ Dominus per illos patrauit.

Qua de causa & Moyses Deus Pha-
raonis nominatus est. Omnibus au-
tem honoris titulis & elogijs emi-
nuit, quod ab ipso filio Dei vocati
sint amici: nam Apostolis ceu si-
delissimis amicis omnia Patris sui
arcana patefecit, diuinorumque my-
steriorum participes reddidit, di-
cens ad illos. *Iam non dicam vos ser-*

nos, quia seruus nescit quid faciat Domi- *Iohann. 15.*

nus eius, sed dixi amicos, quia omnia

quæcumque audiui à Patre meo nota feci

vobis. Imò, post gloriosam resur-

rectionem suam, cum mandaret

MARIAE, ut Petro cæterisque

Apostolis bonum hunc nuncium

afferrent, appellauit eos fratres. Quæ *Iohann. 20.*

verò maior excogitari potest in terra

dignitas quam hominem morta-

lem fieri amicum intimum & secre-

tarium, non regis alicuius aut Impera-

toris terreni: sed ipsius Dei, Regis

& Domini cœli & terræ? Adhæc ex

rebus quibus Apostoli sunt assimila-

ti, colligi potest singularis eorum di-

gnitas, & primo sunt assimilati cœlis,

344 DISCURSUS DE

Psal. 18.

de quibus Propheta. Cæli enarrant gloriam Dei. Verè cæli, in quibus CHRISTVS habitat, quorum verbis tonat, miraculisq; & alijs signis admirabilibus fulgurat. Imò in eum modum per eorum os intonuit, ut eorum sonitu tremefecerit totam terram. Deinde comparantur nubibus volantibus, tum ob celeritatem qua percurserunt totum mundum, tum quia instar foecundarum nubium doctrinæ suæ imbre totum mundum irrigarunt. Tertiò assimilantur palmib; vitis ob magnam coniunctionem, quam habuerunt, cum vera vite CHRISTO Domino nostro, sicut ipse dixit illis. *Ego sum vitis, & vos palmites.* Fœlices palmites, qui virtute cœlestis vitis à qua producti estis, attulistis mundo vinum nouum gratiæ Euangelicæ, quod legitificat corda, & animas diuino amore inebriat. Quartò sunt comparati agnis, sicut Dominus ad illos dixit. *Ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Agni fuerunt ob innocentiam, humilitatem & mansuetudinem, atque etiam ob utilitatē, quam sua doctrina & exēplo attulerunt mundo. Quinto fuerunt à Domino vocati lux mudi:

*Isa. 60.**Ioan. 15.**Luc. 10.**Matt. 5.*

illi enim sunt lucernæ illæ ardentes
impositæ Ecclesiæ candelabro ad
præbendam lucem omnibus domū
Dei incolentibus. Atq; etiam fuerūt
illi, qui doctrinæ suæ luce infidelita-
tis & ignorantia tenebras è mundo
exterminarunt. Sunt item appellati
sal terræ, quia sapientiæ eorum sale
conditus est insipidus hominum
terrenorū gustatus, vt inciperent de-
gustare saporem & suavitatem rei
cælestium Deinde sicut sal à putrefac-
tione præseruat carnes, & vulnera
consolidat, sic hoc sal apostolicū va-
luit ad sanāda vulnera nostra, seruā-
dasq; animas à corruptione peccati.

6. CONSIDERA deinceps ma-
gnam & multiplicem officij Aposto-
lici potestatem. Quarum prima &
princeps est, quando CHRISTVS in
extrema œœa ordinavit eos in sa-
cerdotes, ineffabilemq; illam super
Angelos potestatem dedit consecrā-
di & offrendi in sacrificium verū,
sanctissimū corpus suū & sanguinē
in remissionem peccatorum nostro-
rum. Præterea post resurrectionē suā
dedit illis etiam potestatem in cor-
pus suum mysticū, nempe absolu-
di homines à peccatis, tradens eis

346. DISCURSUS DE
claves cæli, ut eos p arbitrio suo clau-
dere & aperire possent. Verè potestas
admiranda & diuina, qua illis con-
cessum est homines reconciliare cū
Deo, gratiam Spiritus sancti confer-
re, reddereque animas maculis pec-
catorum immundas, puriores luci-
dioresque stellis, ac deniq; peccato-
ribus patefacere cæli portas, eosque
facere angelorum, aliorumq; ipsius
cæli ciuium confortes. Vide quanta
fuerit bonitas & clemētia CHRISTI.
D. N. largiri hominibus in terra de-
gentibus claves cæli : quanta rursum
eiusdē benignitas: nam cum propriū
sit solius Dei, dimittere peccata, nihil
aliud fuit cōmunicare hanc potesta-
tem Apostolis, quam facere eos tan-
tum non Deos in terra. ALTERA
potestas quam Dominus illis attri-
buit fuit illa iurisdictio & auctoritas
Ecclesiæ, quam suo sanguine ac-
quisierat, regendi & gubernandi.
licet hæc potestas, sicut & præcedēs,
fuerit principaliter concessa S Petro,
tanquam capiti & Principi Aposto-
lorū, totiusq; Ecclesiæ: illi enim par-
ticulatim Dominus suas oves com-
mendauit, quando ei dixit. Pasce oves
meas, & dabo tibi claves regni cælorum.

Quam

Quam potestatem nō recepit ille pro-
se solo, sed etiam pro omnibus suis
successoribus ad populi fidelis salu-
tem. Tertia potestas Apostolica fuit,
prædicare & docere nouam legē gra-
tię omnes gentes, scribēdo eam non
in tabulis lapideis, (sicut scripta fuit
lex timoris data à Deo per Moysen)
sed in tabulis cordis carnalibus, tan-
quam legem amoris. Quam potesta-
tem illis dedit Dominus, quando ad
prædicandum dimissis, dixit, *Ite, do-
cete oēs gentes.* Quarta potestas Apo-
stolorum fuit, posse scribere & edere:
Scripturas Canonicas, tum quia Spi-
ritus sanctus per eorū ora loqueba-
tur, tum quia à summo legislatore
CHRISTO instituti & informati
fuerunt de omnib. sancte fidei my-
sterijs. Quinta & vltima potestas eis à
Domino collata, fuit virtus miracu-
lorum. Conuenientissimum enim e-
rat, ut qui doctrinā tam sublimem &
inauditam diuulgabant, eius verita-
tem admirandis operibus confirma-
rent, ut excitando mortuos, illumi-
nando cæcos, surdis auditum resti-
tuendo, dæmones expellendo, & om-
ni genere morborum homines libe-
rando. In summa, habuere Apostoli

P 7 potestas

348 DISCURSUS DE

potestatem supra naturā, ad eam cū-
randam: supra elemēta, ad mutanda,
supra dēmones, ad eos ejiciendos, su-
per animas humanas, ad liberandas
eas à peccatis, & deniq; supra mortē,
in alijs, vt eam fugiant, in seipſis, vt
contemnant: nā eadē constantia qua
diſseminarūt & deſenderunt fidem,
eadem etiam tandem ſanguinem &
propriam vitam profuderunt.

7. CONSIDERA deinde fructū
à glorioſis hiſ sanctis mundo alla-
tum, verbis illis à CHRISTO indi-
catum. Ego elegi vos, vt eatis, & fructū
afferatis, & fructus vester maneat. Verē
autem magnus & admirandus fuit
fructus ab hiſ duodecim factus, tum
quod Euangelio Christi totū orbem
terrarum complerint, tum quod tan-
tas, tamq; graues difficultates & im-
pedimenta ſuperarint, quæ opera de-
monis, ministrorumq; eius in omni-
bus mundi partibus ſe obijciebant.
Falsorum Deoū cultum exciderunt,
mendacia oraculoū ora clauerunt,
radices peccatorum euulsrūt, igne-
que diuino, quo ipſi ardebant, totam
huius mundi ſyluam accenderūt, fer-
uoreq; ſpiritus, lumine & ſplendore
veritatis cōplerunt. Quare quicquid
hodie

Ioan. 15.

hodie boni cernitur in Ecclesia Dei,
 id omne laborib orationibusq; ho-
 rum gloriisorum Apostolorum ac-
 ceptū ferri debet, salusq; omnis, quā
 inde ab illis temporibus expertū est *Gene. 2.*
 humanum genus, eorum beneficio
 procurata est. Hi fuēre quatuor illi
 fontes, per quos aqua gratiæ doctri-
 næq; Euangelicæ ex paradiſo illo ter-
 restri deriuata est, imò cœlestis Chri-
 stus IESVS Dominus noster, qui ir-
 rigauit oēs partes mundi. Ab his glo-
 riosis principibus & Dei amicis pro-
 manauit constantia Martiū, iustitia
 Confessorum, prudētia & zelus Do-
 ctorum, Sacerdotum sanctitas, Vitæ
 monasticæ rigor, & Virginū puritas.
 Vnde meritò sanctus Propheta, velut
 admirās copiosum fructū, quem no-
 ui hi operari erant Ecclesiæ impor-
 taturi, dixit. *Nimis honorati sunt amici Psal. 138.*
tui Deus, nimis confortans est principatus
eorum. Et quid aliud fuit huius exigui Matt. 13.
 Apostolorum chori prædicatio, nisi
 granum siapis, quod Dominus di-
 xit esse quidem omniū minimū, sed
 in terrā projectum, in tantā pullulat
 magnitudinem, ut nō solum alias su-
 peret plantas, sed etiam in solidā ar-
 borem excrescat, in cuius ramis aues
 cæli

30 DISCURSVS DE
cæli colligantur, & habitationem
piant. Pusillus certe grex, vt illis Do-
minus dicebat, fuere S. Apostoli, sed
tata fuit vis spiritus in animis eorum,
qui per os se prodebat, vt exiguū fi-
dei sermon, quod in cordibus homi-
num illi plantarunt eosq; creuerit,
vt celsissimę, amplissimęque arboris
instar, vt dixit Propheta, implerit to-
tam terram, vmbraq; sua contexerit
montes, & ramos suos à mari ad ma-
rc extenderit. Sic prorsus, vt nunc in
toto vniuerso in ramis, & sub vmbra
huius fælicis arboris, nempe doctri-
næ Euangelicæ & Apostolicæ omnes
fidelium animæ uberrima pascua,
summā pacem, & securam quietem
inueniāt. Si ergo hi gloriosi Aposto-
li, dum adhuc essent in terris, nō sua
sed Christi virtute tam fuerunt po-
tentes; quid nō poterunt modo, cum
viuunt cum CHRISTO ipso in eter-
na fælicitate? Et si dum essent in vita
mortali videbantur habere vitæ &
mortis imperium, quia uno eorum
verbo & viui moriebatur, & mortui
ad vitam excitabatur: quantam ergo
cogitandum est nunc eorum esse po-
tentiam, cum ad tantam gloriā eue-
ti sunt in celo? Quare merito gaudet:
&c;

Psal. 79,

Acto. 5.

& exultat Ecclesia sancta, quod beneficio sponsi sui Christi meruerit opera & studio tam potentium Principum defendi & custodiri, a calibus Doctoribus erudiri, & clarissimorum horum lumen splendore illustrari. Ita plane, ut inter omnium errorum tenebras & hominum peruersorum flagitia amplius halucinari non possit: sed nec tempestates ullas mundi, nec hostium insultus, nec impugnatorum fraudes, ac denique nec ipsas inferorum portas pertimescere debeat: quae portae *Matt. 16.*
(uti promisit Dominus). nunquam contra eam sunt præualitatem.

8. CONSIDERA, quod si tam sublimis & excellens sit Apostolici muneri status, tamque eximus fructus ex eo in toto orbe consecutus, quam magnum & copiosum suorum laborum præmium à Domino in celo obtinuerint. Multa certe præmia CHRISTVS D.N. Apostolis suis partim dedit, partim promisit: speciatim quatuor; duo in hac vita, & duo in altera. Primum eorum quæ in hac vita dedit, fuit Pax conscientiae, & cordis gaudium: pax, inquit, quæ exuperat omnem sensum, quā Dominus ex hoc mundo ad Patrem migraturus,

352 DISCURSUS DE

turus eis reliquit, dicens, *Pacem meam
do vobis, pacem meā relinquo vobis.* Similiter de gaudio locutus est idē Dominus, quando discipulos ob discessum suum mestos, his verbis solatus est.

Iean. 14.

*Iterū ridebo vos, & gaudebit cor vestrum,
& gaudiū vestrum nemo tolleret à vobis.* Hęc pax & hoc gaudiū est illud centuplū, quod Dominus in hac vita largitur ijs, qui propter ipsum renunciant sæculo, & omnibus pompis eius, ingrediunturque viam crucis. Qua de re loquebatur, cum dixit ad Apostolos.

Marc. 10.

Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, qui non accipiet centies tantum, nunc in iepore hoc, & in sæculo futuro vitam aeternā. Etenim pax & consolatio sequentium Christum tanta est, ut hominē inducas in contemptum omniū rerum creatarum, longissimeq; superet oēm pacē & consolationem, quæ haberi in hac vita possit. Secundum prēmium eorū in hac vita, fuēre persecutiōes, carcere, flagella, exilia, cruces, & denique mors gloria pro CHRISTO tolerata. Hoc est præmiū, quod Dominus solet dare ijs in hoc mūdo, quos suis amicis habet & ardenter amat.

nam

nam nulla re homines magis cōfor-
mari, similioresq; reddi Christo pos-
sunt, q̄ si pro CHRISTO ipso patiā-
tur, pro illo exponant vitam suā, qui
suā exposuit pro nostra. Hoc est præ-
miū illud, quod nomine calicis Do-
minus promisit in persona Iacobi &
Ioānis omnibus suis discipulis, quā-
do illis dixit, *Calicem quidem meum bi- Mass. 20.*
betis. Calix hominibus mundanis &
carnalib. amarus & ingratus, at ser-
uis CHRISTI admodū suavis &
gratus. Nec secus esse potest, quia ca-
lix est Christi, qui est fons omnis sua-
uitatis: & est calix, è quo C H R I-
S T V S bibens omnē inde diuinis la-
bris suis amaritudinē ad se attraxit,
pro nobis autem omnem suā dulce-
dinem in illū deposit: sic ut non so-
lum homines ētate grandes, sed pue-
ri quoque, & tenellę virgines magnō
desiderio ad hūc calicem degustan-
dum currant. Quare nec mirum est,
Apostolos (vti scriptum est) iuisse
gaudentes à conspectu concilij, quoniam *1 Th. 5.*
digni habitus sunt pro nomine IESV contu-
meliam pati. Similiter Apostol. scribēs
ad Philippēses eos hortabatur, vt nō
modo gauderent, sed etiā gloriaren-
tur in suis persecutionib^o, dicēs. *Quia*
rebus

Phil. I.

358 DISCURSUS DE
vobis donum est pro Christo, non solum ut
in eum credatis, sed etiam ut pro illo pati-
mini. Primum vero magnum, premiu-
m pretiosum & optabile. Sicut enim
Christus Dominus noster nihil arde-
tius amavit, maioriq; desiderio qua-
siuit & expectauit, quam morte cru-
cis, ita magno & singulari beneficio
afficere dicitur quos amat, quando
eos suae crucis participes reddit.

9. DEIN DE ultra præmia iam di-
cta à Domino in hac vita Apostolis
data, considera, quam ingens corum
remuneratio & merces fuerit in alte-
ra vita, eaq; duplex. Prior à Domino
expressa est, quando Petrus percul-
tatus ab eo est, ecquid præmij relin-
queretur ihs qui omnia reliquissent,
ipsumq; secuti essent. Respondite
nun his verbis. Amen dico vobis, quod
Matt. 19. vos qui secuti estis me, in regeneratione ca-
sederit filius hominis in sede Maiestatis
suae, sedebitis & vos super sedes duodecim
iudicantes duodecim trib. Israhel. Gran-
dis vere dignitas in amplissimo ho-
noratissimoq; illo concilio, velut pri-
mos Senatores & Principes summi &
uniuersalis Iudicis cæli & terræ ia-
totius mundi conspectu sedere. De
his locutus est Propheta, cum dixit.
De

Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui & principibus eius. Quid autem aliud designant istae sedes, in quibus Dominus ait illos secum confessuros, nisi ingentem securitatem, præminētiā & dignitatem, quam illi præalijs, velut ipsius Iudicis amici & domestici cōsecuturi sunt? O fælix paupertas eorum, qui omnia reliquerunt ad sequendum Christum, quæ in horribili illo elementorum fragore, in tremēdo illo meritorum nostrorum exanime, & tam ancipiū iudicio reddet omnino securos, imò in severissimi iudicis præsentia gloriros, quippe coram quo, non tantum eius amici & socij comparebunt. O admirabilis mutatio dexteræ excelsi. Qui, dum adhuc in terra degenererant sex & periplema mundi, pauperes, angustiati, afflicti, & cōtempti instar ouium ad mortem destinatarum, illo die ad tantam euentur gloriam, ut dicantur iudices mundi. Iudices non hominum solū, sed, ut dicit Apostolus, etiam Angelorum, atque hoc erit præmium solis Apostolis super alios omnes à Dominō concedendum. nam admodum cōgruens erat eos, qui tam fides

les

36 DISCURSUS DE

les fuerant socij Saluatoris in suis
persecutionibus, temptationibus, & la-
boribus vsq; ad crucem, socios quo-
que eius fieri in exaltatione & gloriis,
quando veniet cum Maiestate ad iu-
dicandum & vindicandum eos oēs,
qui ipsum negarint & persecuti fue-
rint. Alterum præmium ab eodē Do-
mino Apostolis promissū fuit, quā-
do post extremam cænam ad mortē
iturus dixit, *Vos estis, qui permanistis*
mecum in temptationibus meis; & ego dis-
pono vobis, sicut dispositi mihi Pater me-
us regnum, ut edatis & bibatis super men-
sam meam in regno meo. O inæstimabi-
le præmium, tam exigui & breuis ser-
uitij CHRISTO ab Apostolis præsti-
ti, fieri vna cum illo amplissimi reg-
ni cohæredes, assidere cum angelis
instar filiorum illius mensæ, manū
in eādem lancem cum filij Dei mit-
tere, & Deum ipsum in cibum sume-
re. O beata cōpensatio, quia pro pa-
ne doloris, & amaro calice lachryma-
rum, quem Apostoli sumpserunt in
hoc seculo cum Christo, iam in cæ-
lesti æternoque conuiuio lautissimo
illo pane vitæ exsaturantur, & im-
mensarum eius deliciarum & volu-
ptuarum torrente inebriantur.

10. CON-

Luc. 22.

10. CONSIDERA deniq; licet promissio hæc , de adeunda possessione regni sui, & sessione ad mensam in cælo à CHRISTO Apostolis facta , sit præmium omnibus electis commune , omnes enim sunt filii Dei, & heredes eius Regni, ac CHRISTI cohæredes: omnes quoque sunt cælestis conuiuij participes , tamen quia , vt loquitur Apostolus agens de beatorum gloria , *Stella differt à stellæ in claritate ,* *Apostoli sancti ad gradum, regni illius fælicissimi singularēm, longeque alijs excelsiorem prouehentur & corona magis gloriosa coronabuntur.* Nam sicut in Ecclesia militante , vti eius lapides, primum tenuere locum , vt idem testatur Apostolus , *Posuit, inquiens, Deus in Ecclesia, primum Apostolos,* &c. ita etiam in triumphante clarius, velut splendidiores stellæ relucēbunt, & mensæ regis cælestis accumulent tanquam primi cælestis aulæ Principes , & filij eius primogeniti unice dilecti . O fælicissimi Apostoli ! iam finis est laborum vestrorum , iam tribulationum vestrum hyems transiit , & persecutorum æstus , iam cæperunt flores appas

358 DISCURSUS DE
apparere: quia tam nunc cum Christo regnatis, iam mensæ eius accumbitis, in qua plenè & abundantiter famem & sitim expletis. Quod, si dum adhuc essetis in hoc mundo, Dominus oculos vestros appellauit beatos, quod eum conspicerent, quæ tot Reges & Prophetæ desiderarant videre, quanto beatores nunc estis in cælo, ybi videtis & auditis, quæ nullus oculus vidit, nec auris audiuit, necculus intellectus humanus vel angelicus comprehendere potuit, sed solus Dominus pro ijs qui ex corde Deum diligunt coluntque. Quare nunc B. Apostoli, potiori iure quam olim potestis cum B. Petro exclamare, Bonum est nos hic esse, quia non iam amplius cernitis in terra vultum Magistri vestri mortalem træfiguratum, sed clare videtis in cælo vultum gloriosum eiusdē Domini iam immortalem. Videtis non in monte Tabor, sed ut loquitur Prophetæ, in monte sancto Sion illum magnum Deum omnium Deorum.

C O L L O Q V I Y M.

Q V A M magna est, dulcissime Domine tuæ charitatis & misericordiæ abundantia, quod satis non fuc-

Matt. 13.

Esa. 64.

1 Cor. 2.

Matt. 15.

Psal. 83.

fuerit tibi humano generi deditum inexplicable illud donum, nempe te ipsum in Salvatorem & Magistrum nostrum, sed etiam Ecclesiæ tuæ pro gubernatione & instructione propicere volueris Sanctos Apostolos, ut illi essent quasi lux mundi, & Sal terræ. Optimè cognouisti benedictum IESV, ut sapientissimus, clementissimusque Medicus nostræ imbecillis naturæ conditionem: nam prouidēs peccatores ob suam impuritatem nō ausuros se adiungere ad te purissimum fontem, & Deum infinitæ Majestatis, procurare voluisti Pastores, homines nostri similes, ut maiori fiducia & securitate ad eos cōfugeremus, partim ut sancta eorum institutione purgaremur & in viam salutis dirigeremur; partim ut eorum intercessione gratiam apud tuam Majestatem, inueniremus, ac peccatorū nostrorum remissionem, sicut eam inuenit mulier Cananæa. Obscuro te igitur per tantam bonitatem tuam, eorumque gloria merita, mihi ut gratiam impetriri velis, veritatis notiam (quam mihi beneficio glorio-
rum istorum Apostolorum com-
municare dignatus es) semper & in-

uio.



360 DISCURSUS DE
uiolabiliter in corde retinendi, ore
vsque ad mortem intrepidè cōfite-
di, & opere quoque perfectè præstan-
di & explendi: vt extremo illo die,
cum ad iudicandum veneris, illique
velut iudices mundi tibi assederint,
non eorum sententia à tua Maiestate
reijciar, sed potius gratosè absoluas,
atque una cum illis, alijsque omni-
bus sanctis cælesti præmio dignus
pronuncier.

DOCUMENTA.

1. **S**CRIPITVM est, à Domino primò
lectos Apostolos, deinde verò septuaginta duos discipulos, quos misit ad predicandum, & opem ferendam illi populo. Ne que legimus quenquam illorū ante vocationem se ad obeundum hoc munus obtulisse: imò quendam se vliro offerentem
Matt. 8. & dicētem, Sequar te, quocunq; ieris, repudianit. Vnde discimus, neminē, quantum idoneum se reputet, debere se offere, vel ingerere ad functionem docendi vel gubernandi alios: sed debere potius expectare, donec ab ijs, qui vices C H R I S T I gerunt, vocetur & eligatur; ne dum falso pietatis zelo querit lucrifacere animas aliorum, perdat suam.

2. Ds.

COMMUNI SS. 261

2. Dominus vocavit Apostolos in medio suarum occupationum, alios dum pescaren- tur, alios dum negotijs temporalibus va- carent, eare indicans, suum ieruitum om- nibus huius vitæ occupationibus meritò preferendum. Quare magnam timēdicau- sam habent, qui dum sentiunt se à CHRI- STO vocari, eum ob commodum aliquod, vel respectum humanum sequi regligunt: quo enim maior est hæc eorum ingratiu- do, hoc maius damnum, durioremque pœ- nam deinde sunt relaturi.

3. CHRISTVS voluit Apostolos tantum esse numero duodecim, ut insinuaret, quæ admodum hic numerus compositus est ex duobus numeris, denario & binario, sic A- postolos, eorumque successores, qui sunt Ec- clesiæ Pastores & Prælati, dñe præ o- mnibus alijs obsequi decem mandatis suæ sanctæ legis, & duob. charitatis, que sunt: Diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum.

4. Dominus idcirco tam paucos discipulos ad opem ferendā totū mūdo elegit, vt indi- caret, licet reuera deberent esse multi Præ- dicatores & Pastores Ecclesiæ, tamen sem- per fore paucos veros operarios, mulios autem mercenarios. Semper enim pau- ci sunt, qui quarunt onus & laborem, plu- nimi vero qui si et anur otium, & honores

362 DISCURSUS DE
aucupantur. Pauci, qui querunt prodeesse alij & lucifacere animas; multi contra, qui querunt alijs dominari, & lucris inhabitant temporalibus. Quare recte dixit

CHRISTVS discipulis, Dominum rogarent ut mitteret operarios in messem suam, non quod deessent, aut inopia operariorum idoneorum laboraret, sed quod deessent boni & viiles operarij, qui semper sunt pauci.

5. CHRISTVS ut Apostolos suis extolleret super omnes veteris & noui testamenti sanctos, voluit eos in hae vitae munium hominum esse abiectissimos & contemptissimos, sicut apostol Paulus ad Corinthis scribens, de se, alijsque apostolis loquitur. Puto, inquit, quod Deus nos

1. Cor. 4. Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, nos stulti propter Christum, &c. Atq; eandem normam Dominus cum omnib. alijs suis amicis tenuit, nempe humilias illos, quos amat. Quare magnā causam timendi habent, qui semper ad altiora tendunt, & super alios honorari cupiunt, ne tandem ad insimul locum deirudantur: & qui nunc primas sedes occupare conantur, cum pudore & rubore tandem cogantur occupare extremas.

6. Non legitimus Apostolos à spiritu sancto in remotissimas regiones inter barba-

143

ras gentes amandas, secum tulisse ul-
lum commeatum pro sua sustentatione: i.
mō à Domino veritum illis fuit, ne secum
ferrent vel pecuniam, vel peram, vel duas
tunicas, vel baculum, vt serui Dei intelli-
gant (speciatim qui officio funguntur iu-
uandi alios) primo, non debere eos, pro se
nimium esse sollicitos in reb. ad corpus per-
tinentibus, sed solatium suum querere in
Deo, cuius causa laborant, certo confisi, illā
necessaria omnia illis prouisurum, secun-
dum illa verba ab ipso Domino ad eosdem
Apostolos dicta. Nolite solliciti esse, di-
centes, quid māducabimus, aut quid Matt. 6.
bibemus, aut quo operiemur: Queri-
tite primū regnum Dei & iustitiam
eius, & hēc omnia adiicientur vobis.
Secundò in ijs quæ ad alios pertinet, man-
dauit Dominus, ne gestarent baculum, ve-
intelligant eius serui, non seuerè & impe-
riose aduersus alios agendum esse, sed ma-
gnacum benignitate & mansuetudine tra-
ffandos.

7. Dominus primum dixit ad Apostolos,
se non esse electum ab ipsis, ipsos autem ele-
ctos à se: deinde subiunxit, vt irent, & re-
portarent fructum, fructumq; ipsorum per-
mansurum, quicquid aut paterent Patrem
in nomine suo, id consecuturos. Quo signifi-
catur primò, eos quibus incumbit cura im-

364 DISCURSUS DE

uandarum animarum, non posse sperare aliquem suorum laborum fructum, nisi à Deo electi, & à Spiritu sancto missi fuerint, per eos qui locum C H R I S T U S te-
nent; & quamvis existimant se facere aliquem fructum, si tamen constans & stabili-
us esse non potest. Deinde, etiam si electi es-
seni à C H R I S T O , non debent tamen
fructum quem colligunt sive attribuere do-
ctrinæ, sed virtuti & gratiæ Patriis cale-
stis, à quo, si in precibus eius opem imple-
rent omnis eorum sufficiencia profiscicuntur,
sicut dicit Apostolus. Omnis sufficien-

2. Cor. 2.

L Cor. 9.

Zean. 15.

tia nostra ex Deo est. Idque, ut conser-
uentur in humilitate, & non eueniat illis,
quod idem Apostolus monet, ne duvi alijs
prædicant, ipsi à Deo reprobentur.

8. Dixit C H R I S T U S ad Apo-
los. Si de mundo essetis, mūdus quod
suum est diligenter, sed quia de mundo
nō es sis, ego elegi vos de mundo propterea
vos odit mundus. Ex his Saluatoris nostri
verbis quilibet intelligere potest. Deinde
an mundi partes sequatur. Nam si, quia co-
natur vitam instituere piam & sanctam,
mundi legibus contrariam affigitur, per-
secutiones patitur contemnitur, omnisque
infelicissime cedunt, signum est eum ex-
sum mundo, ac proinde electum à C H R I-
S T O , qui verissime dicit, illos non esse

de

de mundo, cum sint potius de celo supra mundum. Contra vero si ille, quia conatur amicitiam cum mundo colere, amatur & honoratur ab omnibus, prosperrimeque omnia illi cedunt, signum est illum diligere a mundo, ac proinde non parum dubitare debet, cum stet a partibus CHRISTI, & sit in numero a CHRISTO eleborum.

9. Consulebat Dominus apostolis suis, Matt. 10: vi essent in conuersatione cum hominibus, simplices sicut columbae, & prudentes sicut serpentes. Columba habet hanc proprietatem. Careat filie & militia, si pellitur, semper redit, si pulli ei tollantur, regnabit alios in eodem etiam nido. Prudentia vero serpentis in eo, quod pro defensione capitis, periculo exponat totum corpus. Talis quoque esse debet verus CHRISTI seruus. & primò imitari simplicitatem columbae, cogitando bene de omnibus, in bonam partem interpretari quicquid illi dictum factumue fuerit, benefacere male agentibus, nunquam cessare a beneficijs in proximos conferendis, etiam si ingrati sint, & maledictis ab eis afficiantur. Secundò, ut ubi videt periclitari honorem & gloriam CHRISTI capit is nostri, vel animae sue salutem, que est pri-

366 DISCURSUS DE

tipalis hominis pars, imitandam sibi sciat
serpentis prudentiam, & exponendas non
solum facultates, aliaque bona tempora-
lia, verum etiam vitam, si opus sit, pro-
priam, ad tuendum diuinum honorem, &
animæ salutem.

DE COMMUNI
SANCTO-
RVM MARTY-
RVM.
DISCURSUS II.
EVANGELIVM.

Matt. 24.

Mar. 13.

Luc. 21.

V IDETE vosmetipos, nam
ante omnia iniijcent vobis
manus suas, & persequetur
tradentes in Synagogas, & custo-
dias, trahentes ad reges & præsi-
des, propter nomen meum. Con-
tingent autem vobis in testimoniu-
illis. Et quando duxerint vostra-
dentes, ponite in cordib. vestris,
nō premeditari quemadmodū re-
spon-